



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

habetur, Judicem datum, Judicem dare non posse: quia scilicet delegat^o nihil habet proprium, sed sola delegantis jurisdictione utitur. *L. 1. §. qui mandatum. ff. de off: eius.* quare ad instar usurarii jus suum transferre non potest nec in totum nec in partem.

38. Potest tamen delegatus quicumq; committere articulum causæ non jurisdictionalem: id est, qui non cognitionem causæ, sed nudum ministerium, aut executionem habet. *Gl: in Clem: unica. ver. Iudices de off: deleg: Abb: Felin. ut si. v. g. testes coram Judice recepti, ac jurati sint, atq; articuli, super quibus producuntur examinati, & interrogatoria formata, tum ipsa testium receptio, & examinatio nudum ministerium, continet, ut à quolibet etiam delegato Judice exerceri possit. Ceterum ex hoc inferre non valet, eum pariter cui nudum ministerium, seu executio demandata fuit, quamvis à Principe, alteri demandare posse cap. ult. §. ult. de off: deleg: quia censetur electa industria personæ: nisi talis sit commissio causæ, ut appareat æque per alium præstari posse. Quâ ratio-*

ratio-

ratione aliqui rectè edicunt; si testator executores constituit, quorum arbitrio & electione legatum in pauperes distribuendum sit, non posse eos hoc mandatum seu fideicommissum alteri committere: secùs si ipsimet testator pauperes, aut Ecclesias nominarit, quibus legata dari debeant.

39. Ex quibus *Infero*, quod Abbas v. g. delegatus ab Episcopo, vel subdelegatus à delegato Papæ ad absolvendum à censurâ excommunicationis, postquam reo audito adeoq; causâ cognitâ, eundem absolvendum esse decrevit, satisfactio- nemq; debitam imperavit, ipsi nudum absolutionis ministerium, pro externo, aut interno foro, alteri Sacerdoti committere possit, *Nav: cap. 27. in man: n. 45.* Item si Vicarius generalis Sacerdoti committat, ut receptis testibus, ac informatione de habilitate personarum, assistat matrimonio earum, licet hanc testium receptionem alteri demandare non possit, cùm sit actus jurisdictionalis; ipsam tamen assistentiam & conjunctionem personarû, quod alteri committere non prohibeatur, do-
cet